



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies primus et secundus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

De S. Ywio Diacono Conf. Wiltoniæ In Anglia. Sylloge. S. Ywii memoria in  
Fastis sacris, cultus, vitæ professio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73889](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73889)

## DE S. YWIO DIACONO CONF.

WILTONIÆ IN ANGLIA.

## SYLLOGE.

## S. Ywii memoria in Fastis sacris, cultus, vitæ professio.

SUB FINEM  
SÆCULI VII  
VEL SUB INI-  
TIUM SÆC. VIII.  
S. Ywii, S.  
Cuthberti  
discipuli,

**S**anctum Cuthbertum, Præpositum primo Mailrosensem, deinde Lindisfarnensem, ac tandem episcopum ejusdem sedis anno 685 sub Egrido, Northumbriæ rege, factum, et anno 687 ad Superos evocatum, Majores nostri illustrarunt tom. III Martii a pag. 93 ad diem 20 Martii, quo colitur. Virum sanctissimum pro viribus imitari studuit illius discipulus S. Ywius, seu, ut aliis scribere placet, Juvius, Yvius vel Juius, quamquam non ea, qua illius magister Cuthbertus, nominis celebritate claruerit. Vitam illius Ms. habemus ex Rubea valle, canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini prope Bruzellas monasterio, sed ab ea, quam Capgravius, sæculi xv scriptor, vel scripsit, vel ex Joanne Tinnuthensi, qui sæculo xiv fuit, compilavit, non diversam; qui cum ab Ywii ætate intervallo satis longo remoti fuerint, mirum non est, illius gesta admodum jejune tractasse, maxime silentibus illum passim scriptoribus antiquis. Sane scriptore Vitæ S. Edithæ, Wiltoniensis in Anglia sanctimonialis virginis, cujus Acta apud nos tom. V Septembris a pag. 364 illustrata sunt, antiquiorem non inveni, qui S. Ywii mentionem fecerit; quamquam et hic sæculo xi ad finem vergente, si quidem is Goteelinus, B. Bertini monachus, ut creditur, fuerit, tantum floruerit, nec S. Ywii, nisi obiter duntaxat, meminert.

in Martyro-  
logiis

**2** Nihil plus lucis afferunt antiqua Martyrologia, in quibus illum frustra quæsieris: recentiores igitur aliquot martyrologos accipe. Wilsonius in Martyrologio Anglicano, anno 1608 typis edito, e Tabulis SS. Rosweyidianis Sancti nomen excerptens, hoc illi concinnavit elogium ad diem 6 Octobris: In Northumbria festum S. Ywii, diaconi et confessoris, discipuli S. Cuthberti Dunelmensis, cujus insignis vitæ sanctitas Catholicis olim temporibus nostra in insula, maxime apud Nordanhymbros, illustris fuit. Obiit, quantum ex antiquitate colligitur, circa annum Christi dcciv. Eundem quoque annum S. Ywio fatalem Alfordus in Annalibus annotavit; quod quia ex conjectura duntaxat, quantum apparet, fecerunt, latius ego ad finem sæculi vii vel sequentis initium Sancti obitum retuli. Porro, ne quis S. Cuthbertum, quem supra Lindisfarnensem appellavi, Dunelmensem hic a Wilsonio dici miretur, posteriori modo ab illo sic nuncupatum noverit, quod Dunelmensis episcopatus et regio (Durham hodie Angli vocant) olim Terra seu Patrimonium S. Cuthberti dicti sint, ac, ex Lindisfarnensi insula in varia subinde loca translato sancti præsulis corpore, tandemque circa annum 993 Dunelmum delato, Dunelmensis civitatis et vicinorum tractuum tutelaris patronus effectus sit, quæ fusiis in Commentario de S. Cuthberti

translationis Historia explicata invenies. Reliquos martyrologos audiamus

**3** Castellanus in Martyrologio Universali ad recentioribus diem 6 Octobris, inter Gallie Sanctos in Romano non expressos, S. Ywium his verbis recenset, Eodem die (ita sonant verba ejus Gallica) S. Yvius; quem antiqua Mss. Viltoniensia in Anglia, ubi ejus corpus diu cultum fuit, notant Britannia oriundum, Gallie Sanctis annumerare S. Yvium Castellanus utcumque eo nomine potuit, quod in Britannia Armorica seu Minori, Gallie ad mare Britannicum provincia, commemoratus aliquandiu fuerit, atque ibi diem suum obiit. Verum, cum S. Yvium ex Mss. Wiltoniensibus Britannia oriundum (Originaire de Bretagne, quibus verbis Galli passim Britanniam Armorica indicant) dicit, si sensu posteriori Yvium Britonem crediderit, haud illi assentior: Acta enim, cum de ejus ortu et patria agunt, Britanniam sine addito nominant, quo nomine Latino, Britannia Major passim venit: cum autem de illius in Britanniam discessu loquuntur, Minore discrete expriment, ut alteram ab altera liquido secernant, ut infra in Actis videre est. Saussayus in Supplemento ad Martyrologium Gallicanum S. Yvium ad eundem diem annuntiat his verbis: Colonia Agrippinæ S. Ywii, diaconi sancti Cuthberti episcopi; ejusdemque discipuli et imitatoris egregii. Non alia, ut opinor, de causa Colonia Agrippinæ adscripsit Ywium, quam quod ibidem illius conservari reliquias crediderit, qua de re vide num. 8.

**4** Ferrarius in Catalogo Sanctorum Generali ad diem 6 Octobris S. Ywium primo sic annuntiat: In Anglia S. Tuui diaconi: et iterum paulo post in hunc modum: Coloniae S. Yuui diaconi, quasi alter ab altero diversus sit. Unum tamen eundemque esse, adjuncta, quæ in Annotatis ipse Ferrarius offert, ostendunt. S. Tuui diaconum ex Martyrologio Anglicano, et Fastis sacris Rosweyidianis hausit, ac vixisse ait circa annum dcciv; Rosweyidani vero Fasti solum Yvium habent, quidquid sit de Martyrologio Anglicano, quod præ manibus Ferrarius habuit, Annus vero Christi 704, S. Yuui, quem sibi Ferrarius Coloniae annuntiantum credidit, apprimè congruit: huic vero hanc adnotationem subjicit: Ex Calendario Coloniensi. Is fuit diaconus et discipulus S. Cuthberti episcopi. Quæ omnia unum eundemque Sanctum denotare manifestum est. Vitæ S. Ywii compendium Bucelinus in Martyrologio Benedictino, ex Capgravio, Mayhew et Menardo his verbis exhibet; Wintoniæ in Anglia S. Junii, diaconi et confessoris. Junius, ex præclara stirpe Britonum ortus, in insula Lindisfarnensi enutritus, puer etiamnum utroque parente orbatus est. Meruit longe digniorem parentem deinceps felix Puer, et solemnibus monachicæ

A monachicæ professionis votis, Christo renatus, magnum illum et sanctissimum Cuthbertum nostrum et magistrum et perfectionis absolutissimæ exemplar habuit. Profecit plurimum egregia vitæ sanctitate, et ad sacrum diaconatus Ordinem promotus maximi non solum apud homines factus est, sed etiam a Numine magna miraculorum gloria, quanti in cælis fieret, commendatus.

cultusque  
Wiltoniæ in  
Anglia;

5 E relatis modo martyrologis Castellanus, S. Yvium cultu ecclesiastico olim Wiltoniæ gavisum fuisse disertis verbis ait; cujus rei testem habemus Cappravius, qui S. Yvii illic cultum sua saltem ætate seu sæculo xv vixisse, his verbis prodit: Apud Wiltoniam diebus nostris corpus ejus sanctum quiescens in magna veneratione habetur. *Wiltoniæ ejusque Parthenonis, in quo S. Yvii corpus servatum fuit, notitiam habes tom. V Septembris in Commentario prævio ad Vitam S. Edithæ, seu Eadgithæ pag. 367 et seq. Vere admodum simile est, S. Yvii in illo cultum perdurasse usque ad Henricum VIII, Angliæ regem, cujus tempore Wiltoniense virginum cœnobium superfuisse, ibidem pag. 368 ex Monastico Anglicano ostenditur: incipisse autem, ex quo S. Yvii corpus Wiltoniense sanctimoniales virgines possederunt. Qua occasione eo delatum fuerit S. Yvii corpus, ibique deinde remanserit, tomo jam laudato pag. 374 in Vita S. Edithæ num. 40 Gotselinus docet: Clerici Pictorum, inquit, scrinio circumferentes sanctum confessorum Julium, in cœnobio sanctæ virginis honorifice suscepti, in altari B. Edithæ reliquias deposuerunt: cumque clerici vellent abscedere, tanto Juius affixus est pondere, ut ab altari nullo conamine levare possent. Plorant advenæ, ejulant, vestes scindunt, et crines evellunt; desperati tandem, receptis duorum millium solidorum a Wolfrude abbatisa, ad propria tristes abierunt.*

quo ejus corpus

6 Quod ad tempus atinet, quo S. Yvii corpus Wiltoniam delatum fuit, Maicheus anno circiter dcccclxxx id accidisse, scribit, qui tamen S. Edithæ, in cujus altari S. Yvii reliquiæ fuere depositæ, obitum anno circiter 984 affigit. Gotselinus etiam, seu auctor Vitæ S. Edithæ haud satis sibi constat, dum S. Edithæ corporis elevationem annis tredecim ab ejus obitu elapsis, id est, ex ejus calculo sub annum 997 a S. Dunstano, Cantuariensi archiepiscopo, factum scribit: qui enim id sub illum annum fieri a Dunstano potuit, quem anno 988 e vivis abiisse, prodit Osbernus, S. Dunstani biographus, qui sæculo xi floruit, ac de illius rebus probe instructus fuit? Sed, licet de anno, quo S. Edithæ elevatio contigit, constaret, nec sic e verbis Gotselini annus, quo S. Yvii reliquiæ Wiltoniam pervenerunt, certo elici possent. Effici quidem inde potest ab elevatione corporis S. Edithæ id contigisse; sed eodem anno, an annis aliquot post et quot, prorsus incertum reliquit. Dubium præterea est, num Wolfrudis abbatisa Wiltoniense, a Gotselino verbis supra citatis memorata, eadem sit ac S. Edithæ mater; nec annus certo scitur, quo hæc ex hac vita migravit. Id unum, si Gotselino standum est, dixerim, S. Yvii reliquias Wiltoniam fuisse delatas eo temporis spatio, quod ab anno 984 usque ad occupatum a Canuto, Danorum rege, Angliæ regnum, quod ad annum 1016 et seq. refert Alfredus, effluxit.

7 Sic existimo, tum quod Gotselinus tomo V Septembris pag. 370, num. 7 refert, Elphegum, Wiltoniensem nimirum tunc episcopum, brevi

post S. Edithæ mortem, puellam, quam illa e sacro fonte se suscepturam promiserat, sed prius, quam illa nasceretur, mortua suscipere non potuit, baptizasse; qui anno 984 Wiltoniense episcopus consecratus fuit 14 Kal. Novembris, ut tomo II Aprilis pag. 634 ex auctore Chronologiæ Anglo-Saxonice, tunc vicente, probatur. Tum quot Gotselinus prodigia recensens, quæ ad S. Edithæ, per S. Dunstanum elevatæ, exuvias aut alibi ad illius invocationem acciderunt, temporis ordinem servare videatur; verbis autem, ad S. Yvium spectantibus ac supra relatis, proxime subjiciat prodigium aliud coram rege Canuto, Wiltoniæ morante, ad ejusdem virginis exuvias patratum.

8 Ceterum, cum Gotselinus clericos Pictos S. Yvii corpus circumtulisse ac Wiltoniæ relinquere fuisse compulsos, affirmet, facile colligi hinc potest, jam ante apud Pictos (siti hi fuerunt inter fretum Dunbritannicum et Edinburgicum, propter murum Severi imperatoris) sacros honores illius exuviis fuisse exhibitos. At, cum in Britannia Minori seu Armorica secundum Acta diem suum obierit S. Yvius, hinc in Britanniam Majorem corpus ejus aliquando translatum fuisse oportet; quod qua occasione, quoque tempore acciderit, inveniri nusquam potui. Nihilomagus exploratum mihi est, quando, aut qui ejusdem reliquias Colonienses acceperint, nec in qua ecclesia serventur, nec denique, an peculiari illic cultu aliquo officii soleant, hæc tantum, quod sciam, in Fastis sacris et piis Coloniensibus notante Gelenio ad diem 6 Octobris: Eodem (die) Coloniæ Yviii, diaconi S. Cuniberti. Imo cum Gelenius hic Cuniberti, Coloniensis episcopi, mentionem videatur facere, non Cuthberti Lindisfarnensis; dubitandi ratio est aliqua, tum an ullæ Coloniæ S. Yvii, S. Cuthberti discipuli, exstiterint, licet nec Yvius, nec alius quisquam hujus aut affinis nominis Sanctus mihi aliunde notus sit, qui S. Cuniberti discipulus, fuerit; tum an Ferrarius et Saussayus ex corrupto vel perperam intellecto ecclesiæ Coloniensis Calendario, quod Ferrarius laudat, Cuthbertum Lindisfarnensem pro Cuniberto Coloniensi non substituerint. Sed sive ab his, sive a Gelenio hic erratum sit, malui equidem, S. Yvium Wiltoniæ, ubi olim cultum fuisse, jam diximus, quam Coloniæ, aut alteri cuivis loco adscribere.

AUCTORE  
J. B.  
sub finem sæculi x vel seq.,  
initium translatum fuisse  
videtur;

cujus forte  
pars aliqua  
etiam Coloniæ  
Agrippinæ  
servatur.

E

9 Porro S. Yvium vitæ instituto monachum fuisse, efficitur ex Beda in Vita S. Cuthberti; cujus cap. 5 (vide tom. III Martii pag. 105) de S. Cuthberto, Præpositi Lindisfarnensis munus gerente, agens, sic scribit: Neque aliquis miretur, quod in eadem insula Lindisfarnea, cum permōdica sit, et supra episcopi et nunc abbatis et monachorum esse locum, dixerimus: revera enim ita est. Namque una eademque servorum Dei habitatio, utrosque simul tenet, imo omnes monachos tenet. Aidanus quippe, qui primus ejusdem loci episcopus fuit, monachus erat et monachicam cum suis omnibus vitam semper agere solebat: unde ab illo omnes loci ipsius antistites usque hodie sic episcopale exercent officium, ut, regente monasterium abbate, quem ipsi cum consilio fratrum elegerint, omnes presbyteri, diaconi, cantores, lectores, ceterique gradus ecclesiastici, monachicam cum ipso episcopo regulam servent. Nec enim verosimile est, S. Yvium, S. Cuthberti discipulum et diaconum, vitæ genere a magistro suo, decessorum suorum vestigiis insistente, dissensisse. Verum

Verosimiliter  
monachus  
fuit, ejusdem  
generis,

АВСТОНЕ  
J. B.  
cujus S. Cuthbertus, ejus  
magister,

rum haud ita liquet, quam illi regulam secuti fuerint.

40 Num S. Cuthbertus Benedictinam Regulam secutus fuerit, ad illius Vitam tomo Martii ante laudato jam pridem in dubium revocavit Henschenius, eoque inclinare videtur, ut S. Columbae instituta sectatus fuerit, quibus vel aliam a se compositam deinde regulam substituerit, vel certe praecipua aliquot de suo addiderit: Mabillonius autem Saeculo Benedictino in Admonitione praevia ad Vitam S. Cuthberti, non modo hunc Benedicti regulam amplexum, sed id etiam certum esse contendit. S. Cuthbertus in Mailrosensi monasterio susceptus fuit ab abbate Eata anno 651; ac tum ibi, tum in Riponensi monasterio annis aliquot habitavit. E Riponensi ad Mailrosense reversus, hic Praepositum egit sub annum 664, quo Scotticus celebrandi Paschatis ritus a Romano diversus, in synodo Pharensi sub rege Nortumbro- rum Oswio proscriptus est. Dein Lindisfarnensis Praepositus fuit usque ad annum 676: anno 685 ex Farne insula, ubi vitam agebat anachoreticam, accitus, Lindisfarnensis episcopus Eboraci consecratus est; vitamque protraxit usque ad annum 687, quo illam exiit. Eata Colmani discipulus erat; hic vero S. Columbae, abbatis Hyensis, regulam et ritus Scotticos profitebatur: De patre autem vestro Columba, inquit Wilfridus in synodo Pharensi adversus Colmanum disputans, et sequacibus ejus, quorum sanctitatem vos imitari et regulam ac praecipua celestibus signis confirmata sequi perhibetis, possum respondere etc. Haec extra controversiam sunt: sed contendit Mabillonius primo quidem, Eatum, Colmani licet discipulum, potuisse, utpote non Hibernum, sed Anglum, jam abdicasse Scotticos mores, et ad Romanos concessisse; nimirum jam inde ab anno 651, quo Eatum Cuthberto tonsuram non Scotticam, sed Romanam imper- tuisse, affirmat: dein vero, saltem certum, esse, Cuthbertum post synodum prelaudatam (anni 664) Romanae parti ac Benedictinae regulae adhaesisse, quae utrum ita se habeant, nunc in- quiro.

qui saltem  
usque ad an-  
num 664

41 S. Cuthbertus post annos aliquot in Mailrosensi monasterio exactos una cum Eata, abbate suo, ad Riponense monasterium concessit, ibique eodem vitae instituto usus est, quo ante in Mailrosensi usus fuerat: docet id Beda his verbis in Vita S. Cuthberti apud nos num. 13: Cumque post aliquot annos regi Alchfrido placeret, pro redemptione animae suae locum quemdam regni sui, qui vocatur Inrhipum ad construendum ibi monasterium Eatae abbati donare, tollens idem abbas quosdam e fratribus secum, in quibus et Cuthbertum, condidit ibi, quod petebatur, monasterium, atque eisdem, quibus antea Mailros, institutis disciplinae regularis imbuat. Verum, ut num. 14 Beda ait, Eata cum Cuthberto et ceteris, quos eo adduxerat, fratribus domum repulsus est, et locus monasterii, quod condiderat, aliis ad incolendum monachis datus. Causam autem, propter quam monasterio Riponensi cessere, exponit Beda lib. v Historiae Ecclesiae cap. 20 inquit: Quem videlicet locum (Inrhipum) dederat pridem (rex Alchfridus) ad construendum ibi monasterium his, qui Scottos sequebantur. Verum quia illi postmodum, optione data, maluerunt loco cedere, quam Pascha Catholicum ceterosque ritus canonicos juxta Romanam et Apostolicam Ecclesiae consuetudinem recipere, dedit hoc illi (Wilfrido) etc.,

impigro Benedictini instituti propagatori. Inter ritus canonicos tonsuram capitis hoc loco venire non dubium est. Itaque ex Beda compertum est, Eatum, licet Anglum, ad id usque tempus Scotticis ritibus adhaesisse, et S. Cuthberto anno 651, cum hic primum Mailrosense monasterium ingressus est, tonsuram Romanam non imperitisse.

42 Fateor quidem, apud Lindisfarnensem anonymum, qui sub annum 700 S. Cuthberti Vitam scripsit, lib. II, num. 2 (vide pag. 119 tomi tertii Martii) haec legi: Fuit igitur miraculum aliud, in quo primum sanctus homo Dei Cudbertus a Domino glorificatus est, postquam servituti Christi jugum, tonsuraeque Petri formam, in modum coronae spinetae, caput Christi cingentis, Domino adjuvante, susceperat in cenobio, quod dicitur Hrype etc. Sed locum hunc Henschenius merito interpolationis suspectum habuit; tum quod sensus absque illa Romanae tonsurae mentione sibi constet, tum quod Beda in neutra S. Cuthberti Vita, nec in Historia Ecclesiastica tonsurae istius meminerit; addo, et maxime, quod Beda verbis ex jam dictis refragetur. Neque aliquid laudatus Mabillonius offert, quo Henschenii de interpolatis Lindisfarnensis monachi verbis opinionem, allatamve e Beda difficultatem tollat. Videamus modo, num post annum 664, quod Mabillonius certum est, Cuthbertus Benedictinae regulae adhaeserit.

ritibus Scotticis videtur adhaesisse,

43 Certe, inquit ille, Beda testante in Vita Prosaica cap. xxxix, Cuthbertus morti proximus discipulos admonuisse fertur, « ut cum illis, qui ab unitate Catholicae pacis vel Pascha non suo tempore celebrando vel perverse vendendo aberrant, nulla ipsis esset communio. » Recte hinc efficitur, S. Cuthbertum ante obitum (demus etiam ab anno 664) Catholicum Pascha admisisse, ac communem ea in re Ecclesiae morem observasse: sed, qui inde certum fit, abjecta antiqua regula, quam retinere absque piaculo poterat, ad Benedictinam tam cito transiisse, non video; nec id suadet non parva ordinarie ad regulam suam monachorum affectio: imo ex laudato a Mabillonio loco contrarium potius videtur colligi: sic enim post pauca Cuthbertus morti proximus apud Bedam suos alloqui pergit: Catholica patrum statuta diligentissime discere atque observare contendite: ea quoque, quae per meum ministerium vobis divina Pietas instituta regularis vitae dare dignata est, exercete solliciti. Locus erat sane idoneus, quam qui maxime, ut S. Benedicti regulam moriens commendaret, si ab anno 664 apud Lindisfarnenses monachos illa tantum introducta fuisset. Instituta autem illa regularis vitae, de quibus Cuthbertus hic, non alterius, sed sui ipsius fuisse indicare videntur, quae proxime sequuntur apud Bedam verba, et quibus illa suam doctrinam vocat: Scio enim, inquit, quia, etsi quibusdam contemptibilis vixi, post meum tamen obitum, qualis fuerim, quam mea doctrina non sit contemnenda, videbitis.

et Pascha Catholicum dein suscepisse,

44 Sed manifesta, inquit Mabillonius, sunt anonymi Lindisfarnensis verba lib. II sub initium. Vivens quoque ibi (non in insula Farne, ut ait Mabillonius, sed Lindisfarnia, priori vicina) secundum sanctam Scripturam, contemplativam vitam cum actuali agens, et nobis regularem vitam primum componens constituit, quam usque hodie cum regula Benedicti observamus. Verum quid si verba illa cum regula S. Benedicti non anonymi Lindisfarnensis, sed interpolatoris cujusdam sint? Ego sane diffiteri non possum, dum eundem anonymum loco, num. 12 citato,

non tamen certo

**A** citato, nullam interpolationem passum esse, non ostenditur, scrupulum mihi de interpolato hoc pariter loco et in materia valde affini anonymo diffculter exemptum iri. Ponamus tamen, nihil hujusmodi anonymi verbis accidisse; ne sic quidem, S. Cuthbertum Benedictinæ regulæ sectatorem fuisse liquido constat. Cum enim anno 687 in vicis S. Cuthbertus esse desiderit, scripserit vero hujus Vitam anonymus sub annum 700; vera esse possunt ejusdem verba, etiamsi eo temporis spatio, quod inter Cuthberti obitum et annum, quo anonymus illius Vitam exaravit, medium fuit, S. Benedicti regula Lindisfarnensi monasterio fuisse illata, seu S. Wilfridi, qui, defuncto Cuthberto, ecclesie Lindisfarnensis per annum, teste Beda lib. iv, cap. 29, curam suscepit, seu S. Eadberti, in quem sub annum 688 ejusdem ecclesie cura translata fuit, seu denique alterius cujuscunque opera.

regulam Benedictinam, quidquid

**B** 15 Vidit id verosimiliter Mabillonius: quare ostendere nititur, etiam vivente S. Cuthberto in Lindisfarnensi monasterio in usu fuisse S. Benedicti regulam: profert eam in rem primo ex Beda, monachos Lindisfarnenses quietem meridianam egisse; id autem fecisse illos haud dubie ex præscripto Benedictinæ regulæ in cap. 48 « Post » sextam surgentes a mensa pausent in lectis » suis. » Verba Bedæ apud nos tom. III Martii pag. 405, num. 26 hæc sunt: Denique arguere solebat pusillanimitatem fratrum, qui graviter ferebant, si qui se nocturnæ vel meridianæ quietis tempore importuna forte inquietudine suscitant; et quibus tamen certo non liquet, meridianam quietem captasse Lindisfarnenses monachos ex præscripto, quam sequebantur, regulæ, nedum Benedictinæ. Tum addit Mabillonius: Et Præpositi officium, quod Boisilus ac Cuthbertus sub abbate exercuerunt, ex ejusdem regulæ decreto in cap. 63 profectum videtur: non enim facile reperias Præpositum cum abbate in eodem monasterio, præterquam in illis monasteriis, quæ Benedictinis institutis addicta erant. Boisilus jam inde ab anno 631 sub Eata abbate Mailrosensis Præpositus erat, teste Beda apud nos tom. III Martii pag. 401, num. 44, quo tempore Scoticos usus illic adhuc vigiuisse, e Beda dictum est supra; nec tamen Mabillonio certum est, jam tum Mailrosenses monachos Benedictinam regulam observasse: igitur nec certum illi esse debuit ex hoc capite, post annum 664 sive apud Mailrosenses, sive apud Lindisfarnenses Benedictinam regulam, superstite in vicis Cuthberto, floruisse.

in contrarium

**C** 16 Postquam anno 664 in synodo Pharensi causa ceciderat Colmanus, teste Beda lib. iii, cap. 26 Historiæ Ecclesiasticæ, in Scotiam, seu Hiberniam, relicto Lindisfarnensi episcopatu, regressus est. Colmani exemplum secuti sunt e Lindisfarnensibus aliqui, alii vero in eadem insula remanserunt: Porro Fratribus, inquit Beda, qui in Lindisfarnensi ecclesia, Scotis abeuntibus, remanere voluerunt, præpositus est abbas jure vir reverendissimus ac mansuetissimus Eata, qui erat abbas in monasterio, quod vocatur Mailros. Ex quibus deduci videtur posse, Scoticos mores in monasterio Lindisfarnensi usque ad synodi Pharensis tempus seu annum 664 perdurasse; sed, illa celebrata, sub Eata ibidem desisse, qui dein S. Cuthbertum Lindisfarnensi monasterio Præpositum dedit; cujus opera novum vitæ genus in idem monasterium, licet ægre, fuit inductum: ita enim rursus Beda in Vita S. Cuthberti apud nos cap. 5, num. 25: Erant autem quidam in mona-

sterio (Lindisfarnensi) Fratres, qui priscae suæ consuetudini, quam regulari mallet obtemperare custodiæ: quos tamen ille modesta patientiæ suæ virtute superabat, et quotidiano exercitio paullatim ad melioris propositi statum convertebat; quibus verbis non alia vitæ regulæ instituta designari videntur, quam illa, quæ morti proximis Lindisfarnensibus monachis velut sua commendavit, non ita verosimiliter de S. Benedicti institutis, ut supra diximus, locuturus. Neque admodum verosimile est, S. Cuthbertum nihil in commendationem regulæ Benedictinæ apud monachos, qui priscae suæ consuetudinis amorem nondum omnino deposuerant, dicturum fuisse, si illam recens introduxisset, et tantum additamentis aliquot, ut Mabillonius verbis mox citandis insinuat, de suo auxisset.

AUCTORE  
J. B.

**E** 17 Sic denique Mabillonius arguit: Denique Wilfridus, eximius regulæ Benedictinæ propagator, consentientibus etiam adversariis, postquam Scotos in prædicta synodo revocit, et ex Northumbria vi veritatis effugavit, sine dubio desertis Scotorum cœnobiiis regulam S. Benedicti imposuit. Quamquam non dubitamus, decreta quædam seu statuta præter regulam S. Benedicti (præter quam certo etiam fuit vestis alba, qua usum fuisse S. Cuthbertum et monachos Lindisfarnenses, Beda tradit in ejus Vita cap. 5, num. 27) monachis Lindisfarnensibus præscripta fuisse. Sane verosimile est, S. Wilfridum, ut aliis monasteriis, a Scotis desertis, ita et Lindisfarnensi S. Benedicti regulam, data occasione, invehere studuisse: sed, quod ad Lindisfarnense attinet, verosimilius est, id conatum esse S. Wilfridum mox ab obitu S. Cuthberti, post quem per annum circiter Lindisfarnensium curam Wilfridus gessit. Beda enim, postquam cap. 11, num. 61, Herefridi verbis narravit, mortuum fuisse S. Cuthbertum eo temporis articulo, quo Psalmus 59, cujus initium est: Deus repulisti nos et destruxisti nos: iratus es, et miseris nobis, a monachis canebatur, hæc subdit paulo post: Quod superna dispensatione procuratum, rerum exitus ostendit. Sepulto siquidem viro Dei, tanta ecclesiam illam tentationis aura concussit, ut plures e Fratribus loco magis cedere, quam talibus vellent interesse periculis. Attamen post annum, ordinato in episcopatum Eadberto... visionem pacis Dominus et dispersiones Israelis congregavit.

Mabillonius  
afferat

**F** 18 His Bedæ verbis Henschenius sequentem annotationem subjecit: Videtur illa tentatio constituisse, quod S. Wilfridus antiqua statuta Patrum et ipsius S. Cuthberti, quæ hactenus observarant (Lindisfarnenses monachi) et quæ S. Cuthbertus moribundus illis commendarat, voluerit abrogare, et regulam S. Benedicti aut introduci aut solam observari. Simile quid (vide num. 44) non inscio certe S. Wilfrido, Eata et Cuthberto, in monasterio Riponensi degentibus, acciderat. Commodam Benedictini instituti eo introducendi occasionem S. Wilfridi zelo suscepta Lindisfarnensis ecclesie cura præbebat; duravit denique illa tentatio toto eo temporis spatio, quo Lindisfarnensem episcopatum Wilfridus gessit, et sub ejus successore mox desit: quæ sane Henschenianam conjecturam non improbabilem faciunt. Quid vero ad hæc Mabillonius? Verum ista, inquit in Annotatis ad cap. 40 Vitæ S. Cuthberti, prorsus incerta sunt. Sit ita: igitur nec certum est, S. Cuthbertum a celebrata anno 664 Pharensi synodo ad Benedictinum institutum transiisse.

contra Henschenium, qui S. Wilfridum a S. Cuthberti morte

AUCTORE  
J. B.  
regulam Be-  
nedictinam;  
Lindisfar-  
nensi mona-  
sterio

19 Magis affirmate Mabillonius loquitur in Annalibus Benedictinis ad annum 687, num. 58. Non multo post, inquit, nimirum ab obitu S. Cuthberti, tanta ecclesiam illam tentationis allavit procella, ut plures e fratribus loco cedere, quam tanto interesse discrimini mallent. Episcopatum illum uno anno rexit venerabilis antistes Wilfridus, donec eligeretur, qui pro Cuthberto episcopus ordinandus esset. Electus est ad id muneris vir magnarum virtutum Eadbertus, qui, fugatis perturbationum procellis, tranquillitatem Lindisfarnæ restituit et dispersos istuc revocavit. Hæc recte Mabillonius; fatetur porro, conjici ex his posse, has procellas Wilfridi occasione, certe ejus tempore (quod certum apparet) exortas fuisse. Verum id a Wilfrido factum esse, quod antiqua Patrum statuta (addere debebat, et ipsius S. Cuthberti) in monasterio Lindisfarnensi abrogari; introduci vero, vel solam S. Benedicti regulam observari vellet, mera, inquit, divinatio, ne dicam, allucinatio est. Wilfridi occasione et causa ortos fuisse apud Lindisfarnenses monachos turbas, non hallucinatio, sed tolerabilis saltem conjectura est: si enim turbarum causam quaerimus, hæc in Pascha Scoticum refundi non potest, cui, Cuthberto superstite, ex hujus Vita Lindisfarnenses jam inde vale diverant. Nec in ritus Scoticos reliquos: nam ex Beda, supra citato num. 41, Scoti, quique horum ritus sequi maluerunt, Lindisfarnensi insula a celebrata Pharensi synodo excesserunt. Quam igitur probabiliorum causam Mabillonius assignabit, quam illam, quod S. Wilfridus eorum regulam, quam sibi recens a S. Cuthberto commendatam habebant, aut abrogare, Benedictinam subrogando, aut utramque conjungendo augere seu mutare voluerit?

invehere con-  
natum in-  
nuat:

20 Atqui, inquit Mabillonius, quæcumque fuerit horum motuum causa, e Vita S. Cuthberti apparet, regulam Benedictinam ante illius obitum in Lindisfarnensi cœnobio viguisse; ex qua nimirum habemus, S. Cuthbertum animam Deo reddidisse feria quarta et eo quidem tempore, quo fratres Lindisfarnenses « sub ordine nocturnæ » Laudis dicebant Psalmum quinquagesimum nonum, cujus initium est, « Deus repulisti nos, » et destruxisti nos: » sic enim S. Benedictus vigiliarum seriem ordinat, ut in feriæ quartæ vigiliis hic Psalmus incidat. Verum quid tum? Fuitne id tum temporis ab unis Benedictinis observatum? Huncce morem, uti et Pascha Catholicum, sequi S. Cuthbertus non potuit, nisi simul S. Benedicti regulam amplecteretur? Certe hodieque feria quarta eundem Psalmum ad Matutinum recitant, quicumque Romanum Breviarium sequuntur. Subdit his Mabillonius anonymi, Vitæ S. Cuthberti scriptoris, verba num. 44 relata, quibus dictum suum confirmat; non nescius tamen, verba illa, quibus Benedictinæ regule observatio in monasterio Lindisfarnensi ante annum 700 adstruitur, ab Henschenio pro certo genuinis habita non fuisse; et quidem non immerito, ut num. 44 dixi. Neque vere subterfugisse Mabillonium arbitror, verba illa, utut genuina fortasse sint, non obesse, quo minus S. Benedicti regula, post obitum quidem S. Cuthberti, tamen ante annum 700 in cœnobium Lindisfarnense inducta fuerit, quod itidem num. 44 dixi. Miror proin, nihil a viro sane doctissimo, quo interpolationem ab anonymo amoliretur, sive in Admōnitione prævia ad Vitam S. Cuthberti, sive in Annotatis ad eam, sive tom. II veterum Analectorum pag. 476, ubi de regula S. Benedicti, in

monasterium Lindisfarnense per Wilfridum introducta, agit, sive parte I sæculi IV Benedictini, ubi de S. Wilfrido, alibi, quod sciam, fuisse allatum.

21 Porro non aliter hic de S. Ywio, quam de S. Cuthberto loquendum videtur. Monachum fuisse S. Ywium ex Beda, num. 9 laudato, probabiliter quidem colligi potest; ejusdem nimirum instituti, cujus S. Cuthbertus seu auctor seu sector fuit; atque adeo plane ambiguum, num Benedictini. Neque S. Ywii in Britanniam Minorem seu Armoricam discessus monasticæ ejus professioni obest: potuit enim bona abbatis sui et Fratrum venia eo migrasse, ut vitam Deo solitarii illuc ageret, magistri sui Cuthberti exemplo, qui in Farnem insulam simili de causa aliquando concessit. Reliqua, quæ de S. Ywio Acta tradunt, satis quidem credibilia sunt, sed non vix testata: liquet enim illorum auctorem a Sancti ætate admodum fuisse remotum, et illius gesta parum luculenter explorata habuisse. His plura apud Rerum Armoricarum scriptores frustra quaesivi: neque dicendo sum, num in Armorica S. Ywii memoria dudum ab ejus obitu vixerit.

atque adeo  
nec S. Ywius  
certo Benedi-  
ctinus fuit.

## ACTA

### EX CAPGRAVIO.

Sanctus enim Ywius, præclare stirpis Britonum a religiosis parentibus, Branone videlicet patre, Egidæque genitrice ortus, et Lindisfarnensi provincia b nutritus est. Qui ab infantia litterarum rudimentis traditus, inspirante Spiritus Sancti gratia, cœtaneos suos litterarum scientia transgrediens a magnis doctoribus venerabatur. Nihil puerile dicto vel facto exercebat: sed, crescente simul cum ætate religione, divinis obtemperans mandatis, non solum super hiis, quæ feliciter, verum de non prospere sibi adventantibus gratulabatur. Cum autem jam in juvenili vernaret flore, a suis, utpote tanti hæres patrimonii, arma capere crebro hortatus, tereno cœlestis præferens præmium, quosdam sacri ordinis, parentibus insciis e, conscendit gradus. Paulo vero maturior, utroque parente orbatus, a sanctissimo Lindisfarnensi episcopo Cuthberto d, cujus erat discipulus, instructus, diaconatum suscepit.

S. Ywius pa-  
tria Brito,  
discipulus

a  
b

S. Cuthberti  
Lindisfar-  
nensis episco-  
pi, et diaconus,  
editis

c

d

e

2 Frequens illi in monasterio nunc orationi insistendo, nunc de Domini mensa spiritualem cibum sumenda e erat cura. Dum vero nihil de crastino sollicitus erat, quidquid ad manum habere poterat, prout cujusque necessitas exigebat, quotidie pauperibus erogans alimoniam, in se delinquentibus veniam, argentibus indumentum, mœstis solatium præbens, caducis eterna, terrenis mercabatur caelestia. Celebrante autem quadam die solempni præfato præsule, sanctoque Ywio diaconi vicem peragente; ecce, quidam vi februm oppressus, infirmos gressus baculo regens, post populi frequentiam oblaturus accessit. Cujus calamitati beatus compatiens Diaconus, apprehensa manu, proximum altari gradum scandenti, qui tantæ obsistebat imbecillitati, præbuit fulcimentum. Mox mirum in modum ad præcipuæ simplicitatis Viri tactum ægritudo, quamvis vehemens, accessit f; pristinae robor

A robor virtutis ad singula membrorum officia se adeptum latatur. Et prosternens se Vir sanctus, non meis, frater, sed præsulis, inquit, sancti, cujus manum osculari desiderabas, meritis intercedentibus, superna Pietas in te operata est.

aliquot prodigiis, latebras in Britannia Armorica

\* mea

g

h

3 Nec multo post, dum idem Vir beatus, epulis sobrie sumptis, quadam die domi sederet, contigit, ut pauper quidam, diutina infirmitate vexatus, ita ut, decocta carne rugosa, tantum cutis nuda prætergeret ossa, ad januam accederet: cujus condolens miseriam ab eo, quid accipere vellet, humiliter sciscitatus est. Cumque a paupere id responsum acciperet: Nullo delector, nullo tecum fruar cibo: potu tamen, quæ mei torret interiora, compesce flammam: festinus cieeram g afferens egeno dedit. Quo hausto, humeros curvatos pauper erigit, et sospitati redditus gratias Deo egit. Sanctus autem Ywius timens, ne sibi humani noceret aura favoris, patriam omnino suam fugiendo relinquere disposuit, et signo crucis se muniens ad portum quendam iter direxit h. Appropinquante autem eo septimæ stationi navium, quæsierunt ab eo nautæ, quo tenderet? Cumque responsum, quo Dominus eum vocare dignaretur, se pergere, eis dedisset, adjunxit: Si qui vestrum ad præsens transfretare desiderant, precor, ut in nomine Domini cursus comitem et laboris recipient. Cui dixerunt: Nisi nostrum ventus impediret cursum, jam diu Minorem applicuissemus Britanniam i, et si illum tendere cupis, quousque ad votum afflaverit aura, tibi necessaria ministrabimus.

querit, ibique moritur.

4 Quo audito, Vir sanctus benedicens Dominum vultu læticiam prodens ait: Descendamus ergo, fratres, et, quæ necessaria sunt, præparemus. Et cum subito ventus desideratus fieret et navigare inciperent, orta tempestate gravissima, nautæ desperantes palmas ad cælum tendere et auxilium a Deo postulare cœperunt. Excitatus tandem vir Dei Ywius, qui sopore corpus fessum recreavit, preces ad Deum fudit, et tota maris commotio confestim conquievit. Paralyticus quidam, nisi aliena manu cibum capere non valens, suis sacris precibus sanitatem recipere meruit. Interea vero Dei Famulus vigiliis jejuniisque assiduus corpus affligens, humilitatis et operum virtutis et totius honestatis omnibus exemplum se præbuit, et pridie Nonas Octobris in Minori Britannia feliciter ad gaudia in æternum mansura migravit k. Apud Wiltoniam l diebus nostris m corpus ejus sanctum quiescens n in magna veneratione habetur.

k

l m

n

tur: de variis gentis illius nominibus, uti et origine vocis Britannia, vide Camdenum pag. 17 et seqq.

b Ex præcipuis Britannia insulis una, de qua sic Camdenus pag. 851: In Northumbria littore, Lindis fluvio una objecta est Lindis-farne, Britannis Isis MEDICANTE, quæ, ut Bedam audias, « accedente et recedente reumate, id est, æstu, » bis quotidie instar insulæ maris circumluitur » undis, bis, renudato littore contigua terræ » redditur. » Unde ille SEMI-INSULAM apposite vocavit. Pars Occidua angustior et cuniculis re-lieta, isthmo admodum tenui Orientali connectitur, quæ multo latior, qua Meridiem spectat, oppidulum habet cum ecclesia, et in eo castrum, ubi olim sedes fuerat episcopalis, quam Aidanus Scotus, evocatus ad fidem Christianam Nordandumbris annunciandam, instituit, loci solitudine et recessu delectatus; sederuntque ibi undecim episcopi: postea autem irruentibus Danis, sedes Dunelmum translata fuit... Hæc ob sanctorum monachorum habitationem HOLY ISLAND Anglis vocatur.

c Ms. Rubæ Vallis habet: Invitis.

d Lindisfarnensis episcopus consecratus est anno 685 Eboraci: obiit anno 687, abdicato paulo ante episcopatu, in insula Farne, ad septimum, inquit Camdenus mox citatus, a Lindisfarnensi insula milliare Euroastrum versus sita.

e Ms. Rubæ Vallis: sumendo.

f Lege: Abscessit, ut habet Ms. Rubæ Vallis.

g Sicera, ut passim scribitur, hodie potum significat, e pomis pyrisve expressum: olim vero potionem omnem, quæ, præter vinum, inebriare poterat. Potionis illius usum antiquum esse colligi potest ex capitulari Caroli Magni de Villis cap. 45, ubi siceratores memorantur, addita hac vocabuli illius explanatione: Id est, qui cervisiam, vel pomatium, sive piratium, vel aliud quodcumque liquamen ad bibendum aptum fuerit, facere sciant. Vide regum Francorum Capitularia apud Baluzium tom. I, col. 337 et seq.

h Superstite adhuc S. Cuthberto; ut quidem Acta videntur innuere: atque adeo inter annum 685 et 687.

i Gallia regio est ad mare Britannicum (La Bretagne) olim Armorica dicta.

k Sub annum, ut fertur, 704.

l Comitatus cognominis in Anglia (Anglice Wilt-shire) olim primum oppidum, a flumine Willy sic dictum, ut scribit Camdenus in sua Britannia pag. 176.

m Vixit Capgravius sæculo xv: Joannes Tilmuthensis, quem hic compilavit, xiv.

n Eo delatum sub finem sæculi x vel sequentis initium. Vide num. 6 Sylloges.

## ANNOTATA.

a Britones idem sunt, qui nunc Angli dicuntur.

